Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono,

QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum die Jovis vigesimâ octavâ Martii.

M. GUILLELMO PETIT, Doctore Medico, Regi à consiliis, & Serenissimi Delphini Medico primario, Præside.

An ex paucis & parabilibus salubrior vivendi ratio?

VIVERE & nutriri diversa nomina, res eadem; effluxu jugi teritur quidquid vivit, sarcitur affluxu jugi; alterum si defecerit, perit habilis ad vitæ munia partium vigor, fugitque vita suis destituta adminiculis; has vices præstat perenni motu vitalis calor quotidianæ mortalitatis damna pensaturus; calor hic sanguini potissimùm insidet, cujus cursu continetur ille vigetque: sanguis proximum est totius corporis alimentum quo, ferè uno & valemus omnes & ægrotamus; illius integritas æstimatione chyli ferè terminatur, qualis hic fuerit, talis futurus ille, ut, qui valetudinis suæ curam gerit primæ potissimùm coctioni attendat oportet, & ex ea colligat, quanto quóve pascatur alimento, quis potioni, quis cibo debeat esse modus: institutio victûs res non adeo facilis ac quis putet, difficultatem facit non tam rei ignoratio, quam cupiditas nullibi major quàm circa cibum & potum; scilicet! ex quo voluptati sunt quæ necessitate cœperunt, & ciborum usus in luxuriam versus, non aliunde plus insidiarum est vitæ, tamque potuit intemperantiæ solertia, ut homo maximè cibo pereat, quo maximè indiget; vis ergo tibi familiatissimæ periculum avertere, corpori tantum indulgeas quantum bonæ valetudini sat est, eáque cibi potûsque copia edendi bibendique desiderium temperes, ut ad coctionis integritatem minor accedat excrementorum proventus; hæc tibi secum afferet commoda paucus & parabilis cibus, qui dum naturam sui sinit esse juris, vitalis roris genium atque temperiem ita induit, ut nullâ sordium mole præpeditus inculpatæ valetudinis præmia deferat quoquoversum.

BONÆ valetudinis quasi quædam mater est frugalitas inimica luxuriosis epulis & aliena nimiæ vini abundantiæ, quæ dum sobriis naturæ legibus stomachi desideria terminat, ærumnas omnes longè arcet, ut, reverâ sobrius tam vacet omni morbo quàm vacat humorum cœno ingluviei sobole; verique simile est, rudiore adhuc primis temporibus medicinâ, inter non multa adversæ valetudinis auxilia, plerumque tamen eam bonam contigisse ob bonos mores, quos neque desidia neque luxuria vitiaverant: epulis contrà se refercire præceps est ad morbum gradus, & corpora eorum quæ athletarum more repleta sunt, celerrimè & senescunt & ægrotant: frugalitatis leges incertæ pro incerta hominum indole, utque sensuum est de cibis eligendis judicium facere, ita ciborum quantitas μηδὲ σταθμῷ μηδὲ ἀριθμῷ, sed corporis sensu & quodam quasi satietatis modo finienda, quem ultra insidiæ sunt, & à gula periculum; in cibis tamen præstiterit sobrium esse quàm subtilem, scilicet ex integritate coctionis sordiumque vacuitate suis velut è fontibus manat chyli mollities calori temperiem, sanguini puritatem allatura; sanguinis puritas prima est salutis causa, cujus intaminati, seu vivifici roris appulsu partes animatæ vigent, splendent spiritus, habitus nitescit, lucet in vultu coloris honos, ubique læta jucunditas & firmissimum robur, ut, inter hæc vitæ pretia stet ut morbi sic præmaturi senii nescia valetudo, tandiu retinenda quandiu paucis & parabilibus cibis amica saluti temperantia salutis causas retinuerit caloris temperiem, sanguinis integritatem.

QUÆ paucis & parabilibus instituitur vivendi ratio, si non gulæ & voluptati, at naturæ apprime consentanea est, cujus finibus semper coërcita alimentis in vitam utitur non in voluptatem, cibo famem domat, potione sitim extinguit, facilique victu, nec arte corrupto contenta calorem nativum nec copiâ gravat, nec varietate distrahit; sic vegetior factus princeps ille coctionis opifex calor, dum cibis animosè fruitur, eos mox vincit, ac ut particulis constant ejusdem ingenii & proprietatis, inter ipsa vivifici caloris blandimenta mollitæ colliquescunt in succum æquabilem, temperatum, qui spiritu prægnans ac vitæ præsidiis munitus, jamque sanguini εὐσάρκως venarum tubulos momento subeat, naturæ thesauros, ut nullo penè superstite excremento, sic nullo tumultu instauraturus; hæc salubrioris vitæ commoda non experiuntur quibus displicet cibus ἄκνισος & sine arte mensa, quorum victus ad lautitiam ac voluptatem & alias quasvis illecebras accommodatur ac veluti conditur; nam dum mixtionis lenocinio & voluptatis sapore fastidientem stomachum irritant, obsonio ut pane, & pane ut obsonio utuntur, captáque veluti præstigiis appetentiâ sic se ingurgitant, ut & coquendi vires eduliorum mole obruant, & igneis viribus cibos alioquin suavissimos & ad coquendum facillimos adurant, ut, quæ siccis ac desiderantibus alimenta erant, crudis ac plenis onera sint.

UT homini cibus utilissimus simplex, sic alimenta varia nostris aliena corporibus & nocentissima saporum acervatio; ciborum varietati affinis est & consanguinea morborum parens satietas, coctioni inimica & ab omni puritate viscerum aversa, quæ ubi ventriculum obtinuit, languent caloris vires obrutáque digestionis auxilia, spiritus malignè lucenti uligine conspurcati, non coquuntur cibi, putrescunt, inquinant non alunt, ut satietatem brevi cruditas excipiat & sordium omnis generis morbos paritura congeries. Nec eo tantùm nomine invisa eduliorum diversitas, quòd stomachi robur onere ciborum frangat, tumultu potissimùm & saporum dissidio insignis; nam cum assa elixis, dura mollibus, placidis immitia, conchylia turdis imminent, inter se tam diversa dissideant, haustáque malè digerantur necesse est, aliis aliò nitentibus, ut, in hac succorum eluctantium perplexitate particulæ plures non mitigatæ dissiliant in venas morborum semina sparsuræ; nec mirum quòd inconstans & varius ex tam discordi chylo sanguini motus accedat. Taceo quæsitas improbâ satietatis lasciviâ edendi irritationes, adulteros succos, peregrinas vires, aliáque jam lassæ voluptatis irritamenta, quibus placuit artifici gulæ, dum se ipsam incitat & ingenio adjuvat vitia, adornare ciborum fercula, jam non alimenta sed alimentis ignium illita & intexta, quæ si præsentanea non furant, plurimùm tamen occulti operis faciunt, nam ubi fervendo vires sibi fecere, pereunt caloris blanditiæ, perit mollities succorum, inducitur alienus ignis ustulator, αὐτίτητος, callum visceribus inducens, urensque salsâ tabe præcordia leni semper humore irriganda, ut quæ gustu percipitur voluptas nî comitem secum habeat & magistram humanam mediocritatem, causa doloris sit quæ sic erat tanquam datura lætitiam & salubrioris vitæ modum.

UT ergo cupiditati nihil satis est, naturæ satis est etiam parum, simplici curâ constant necessaria, in delicias laboratur, nec in cato nidore voluptas, sed in te ipso est; cum urget fames, placet in cibo & maza & nasturtium; cum sitis urit, aqua de fluvio hausta non sine voluptate bibitur: ut, sapientiores sint illi quibus est expedita tutela corporis parabili victu facilique nihil habente accersiri pretiosive ubilibet non defuturo; neu putes suis illos carere voluptatibus, suas habent & durabiles & quarum non pœniteat; nam & jucunditas victûs est in desiderio non in satietate, nec ex mensa voluptatem captant sed ex prudentia, non tam usu quàm temperantiâ læti; sua sunt & illis convivia in primis opipara & lauta quæ primùm simplicibus epulis, deinde gratâ hilaritate sint condita; conjectant ad cœnulam non cupedias ciborum sed argutias quæstionum, non tam ventre quàm animo convivæ, negantque ea esse apponenda pulmentaria quæ egent altero pulmentario; cibos ergo convivis apponunt sed cibos duntaxat, sibi quisque suum condimentum affert famem, duplicem percepturus voluptatem, unam ex apparatu facili, alteram postridie, quòd nec capitis gravedinem, nec stomachi cruditatem sentiat; & eos in ea vivendi forma cum summa dulcedine continet grata frugalitatis consuetudo, qui bene norint voluptatem alioquin tunc cum maximè delectat extingui, ut, quò plura iis quæ sufficiunt & superflua quispiam apposuerit, eò celeriùs ciborum sit accessura satietas, atque adeo minùs etiam diu voluptate fruiturus quàm qui mediocri victu contentus, sic gulosi & qui conviviis imminent, omnia quæ apposita sunt gustantes, neque in præsentia verè fruuntur ullo ciborum, neque in posterum digerunt satis aut utiliter ut nutriantur; parcimonia è contra, & eorum quæ aviditatem evocant fugâ causarios plures ac fluidos ad senectutem perduxit, eamque nec turpem nec citharâ carentem.

Ergo ex paucis & parabilibus salubrior vivendi ratio.



Proponebat Parisiis, FRANCISCUS POITOU, Neustriacus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1686.